



303

301

307

297

312

292

352

252

402

202

288

fuit pars pretiosissimae crucis recondita, gemmis, auro, et argento stipata per illustrissimam Helenam ejus inventricem, quae eam integram cum invenisset, secari eam fecit, unam partem huc reponens, et alteram Constantinopolim transferens. Quamdiu autem sancta crux in hoc loco stetit, orientalis **(B)** ecclesia prosperata fuit et crevit, et sanctissimos viros habuit, et semper de inimicis crucis Christi triumphum reportavit. Sed quam statim hinc ablata fuit, defecit, et usque ad ultimas feces devenit. Hunc locum, quamvis vacuum, honoravimus, et cantus de sancta cruce ibi perfecimus ex processionali: absentia enim tamquam praesentia ibi contemplabamur. Spirat enim, ut nobis videbatur, ex capsella illa virtus quaedam derelicta a ligno sanctae crucis. Nec mirum; si enim vas vini liquore effuso odorem vini retinet, et haec capsella, in qua lignum odorem vitae aeternae habens contentum, odore illo redolet. Verum ut eo venerabilior locus esset, habent in eo crucem reconditam, in qua parva particula de vera cruce Christi est infixata. Hanc particulam deosculati sumus, et indulgentias recepimus (†).

**De loco, in quo sancta crux fuit probata per mortui suscitationem.**

Expediti in illo loco cum alio cantu processimus ad medium capellae, et ibi est locus, in quem transpositae fuerunt tres cruces inventae, ut probaretur, quae crux esset Christi crux, et allato mortuo ad tactum crucis Christi surrexit vivus. Hunc locum deosculati sumus, et indulgentias recepimus (†). Capella haec est Latinorum, et nulla natio quidquam in ea juris habet, nisi Latini, et custodes sancti sepulchri loco Latinorum in ea officiant, et retro capellam habent habitacula, in quibus coquunt, comedunt, dormiunt, et necessarium opus perficiunt. Fratres minores communiter tres fratres in eo loco habent degere. Multis horis in dormitorio fratrum dormivi.

Ende

Anfang